THESES PHILOSOPHICAE,

Quas DEI Opt. Max. ductu,
& auſpiciis, ad diem 4.
Kal. Auguſti,
EDINBVRGI, IN ÆDE SACRA
AVSTRALI,
Propugnabunt Adoleſcentes Magiſterii
candidati, ex Academia IACOBI
REGIS, hoc Anno 1622.
cum laurea emittendi.

Præſide IACOBO REIDO,
Primæ Philoſophiæ
Profeſſore.

EDINBVRGI,
Excudebant hæredes *Andreæ Hart.* 1622.

ILLVSTRISSIMO, ORNATISSIMOQVE DOMINO,

D. THOMÆ HAMILTONO, Comiti Melrosiæ, *Domino de Binning,*

SVPREMI SENATVS PRÆSIDI, REGIÆ MAIESTATIS IN SCOTIA SECRETARIO, ETIN MAGNA BRITANNIA CONSILIARIO, &c.

Adolescentes Magisterii candidati

S.

CVi potiùs hæ etiam nostrorum laborum primitiæ dicari velint, vel nos debeamus eas dedicare, quàm Tibi (*illustrissime ac ornatissime Comes*) deliberantibus diu, multùmque cogitantibus, planè non occurrebat. Calcatis enim utilitatibus, ad Virtutem, potentiâ etiam & authoritate munitam, eundum est, quoties, quacunque, quocunque vocat, quocunque mittit; nec unquam illius patrocin[illegible]is, ceu Ranis, adversum Musarum Alum[illegible]oaxantibus, detrectandum est. Nam[illegible]um, & administrationis progress[illegible]onsideramus, gaudio planè maxim[illegible]ta exultamus, ut etiam planè videa[illegible]æ tuæ, singulari omnium benevole[illegible]tutis existimatione, non solùm posse tueri, sed eam etiam virtutis atque prudentiæ opinionem de te apud omnes concitasse, ut vel

vel rebus maximis adminiſtrandis digniſſimum omnes te prædicent: quippe ab optimo, & prudentiſſimo Viro, fructus qui ſoleat expectari vel maximus, Tu hujuſce jam non adumbratam imaginem, ſed formam luculentam, & expreſſam exhibuiſti. Et certè cùm in humana ſocietate omninò oporteat homines, & ordine, & vitæ ſtudio diſpares, atque diſſimiles eſſe; providenter egit ipſa rerum parens Natura, ut ingenia etiam eſſent diſſimilia. Sic factum eſt, ut Tibi divinam mentis aciem, & excelſum animum, ſingulari ſapientiâ, & induſtriâ præditum elargita ſit; quo quid Reipub. quid Vniverſitati expediret, & videre prudenter, & perficere conſtanter poſſes. Hanc autem ingenii, atque ſedulitatis præſtantiam, aurum divinum appellat *Socrates* in Phædro, cujus copiâ animos circumfluentes, Deorum quaſi agnatione teneri, & ad Rempub, adminiſtrandam natos, maximèque idoneos eſſe putavit. Nos igitur talis, ac tanti viri humanitate, ac benevolentiâ exciti, atque incenſi (ſi quid vires poſſent) majori animi impetu enitendum eſſe exiſtimavimus, ut omnes cogitationes noſtræ, omnes actiones noſtræ, in tuam dignitatem, & gloriam conferantur: non ut inde meriti aliquâ laude fruamur, ſed ut incredibilem noſtram in te benevolentiam, ſingularemque grati animi voluntatem, ſi non referendâ, ſaltem prædicandâ gratiâ monſtremus. Nobis enim nunquam deerimus, quamdiu aliud non poſſumus præſtare, quin noſtrum in te animum pleniſsimum amoris & obſervantiæ ſemper exhibeamus; & perficiamus, ut nos in omni loco memores, omni tempore gratos eſſe agnoſcas. Abs te autem (*Vir Nobiliſsime*) impenſiùs hoc unicum efflagitamus, ut quâ Præceptoris noſtri Diſcipulos benevolentiâ priùs ſuſceperis, eâdem & Nos, cum munuſculo hoc noſtro complectaris. Et ſicut hoc tribuiſti humanitati tuæ, ut

nos omnes amantiſsimè ſemper ſuſceperis, tribuas idem conſtantiæ, ut ſuſceptos benignitate foveas, & autoritate defendas. Sic deſinent homines admirari, probos quoſcunque, & doctiſſimos certatim ingenij ſui partus tibi *ſæpius* commendare, cujus vel unius ſplendore gratiam & ornamentum ſibi, ſcriptiſque *ſemper* concilient ſuis. Deum intereà rogamus Opt. Max. ut tamdiu nobis te incolumem conſervet, quamdiu te virtutum tuarum minimè pœnitebit. Vale.

Adoleſcentes Magiſterio donandi.

Adamus Sinclarus.
Alexander Burnetus.
Alexander Stevin.
Archibaldus Oſualdus.
David Anderſonus.
David Humius.
David Strathauthinus.
Gualterus Scharpius.
Georgius Retorfortis.
Georgius Trotterus.
Georgius Vinæramus.
Gulielmus Brunæus.
Gulielmus Kerus.
Gulielmus Penmannus
Henricus Aikinheidius.
Henricus Lichtonus.
Iacobus Duncanus.
Iacobus Ladlaius.
Iacobus Landerus.
Iacobus Livingſtonus.
Iacobus Scotus.
Ioannes Callendarius.
Ioannes Daeſius.
Ioannes Dikius minor.
Ioannes Dikius major.
Ioannes *Henderſonus.*
Ioannes Patonus.
Ioannes Scougallus.
Ioſephus Iohnſtonus.
Patricius Bannatinus.
Richardus Brunæus.
Robertus Bruſſius.
Robertus Donaldſonus.
Robertus Rankenus.
Thomas Campbellus.
Thomas Laurænus.

THESES

De Diſciplinis in Genere.

I.

DIſciplinæ divinæ de Deo ſunt, & Dei creaturis: de iiſdem etiam ſunt humanæ.

APP. 1. *Divinæ & humanæ diſciplinæ non ex rebus ipſis ſimpliciter, & materialiter conſideratis diſtinguuntur.*

2. *Solùm itaque ex modo quodam conſiderandi, ex diverſa præſertim inveniendi, tradendique ratione deſumpto, diſtinguendas eſſe arbitramur.*

3. *Divinæ igitur dicuntur, quæ ſunt de Deo, & creaturis, prout divinitùs: humanæ autem, prout humanitùs nobis revelatum eſt.*

4. *Omnis diſciplina vel divina eſt, vel humana.*

5. *Cùm itaque ſcholaſtica illa quæ vocatur Theologia, humanæ invẽtionis, cõprehenſionis, miſtionis, & traditionis ſit, non miſta ex divina & humana (ut quidam dicunt) ſed ſimpliciter humana cenſetur.*

4. *Sacra Theologia libris veteris & novi Teſt. comprehenſa, eaque ſola, divina Philoſophia ſimpliciter, & verè nominatur.*

5. *Ad hanc itaque tanquam regulam exactiſsimã, nunquam & nuſquam à recto flectentem, dirigenda, & corrigenda ſunt humana inventa, commenta, meditata omnia, ſi ve-*

si veram sapientiam, non inanes, leveſque opiniones propugnare cupiamus.

6. *De hac igitur parte diſciplinarum verè & confidenter poſſumus enunciare, quòd ſit maior toto; cùm eminentiâ etiam quâdam cæterarum partium perfectionem in ſe complectatur.*

7. *Vbi igitur nervoſiùs logicè diſputatur, ubi fallaces & captioſæ rationes aperiuntur enucleatiùs, quàm in libro Iob? in quo Hiſtorico veriores deprehendes hiſtorias, in quo Comico Comœdias & Tragœdias elegantiores, quàm in S. eloquijs? In quo Poeta de Amore ardentiùs diviniùſque ſcriptum reperies, quàm in Pſalmis & Canticorum Canticis? Vbi exquiſitior ars non ficta, ſed vera Rhetorica, quàm in Prophetis, quàm Apoſtolis conſpicitur? Quænam moralia præcepta copioſiora & conſummatiora viſuntur, quàm in Exodo, in Deuteronomio, Solomoniacis dogmatis, & demum in Evangelio? Quis unquam Philoſopus de natura abſolutiùs Moſe tractavit, quis unquam ſapientiùs? Quæ denique Metaphyſica cum S. Scrip. conferenda, quæ à Deo exordiuntur, in Deum finiunt, ſemperque de Deo & divinis diviniſsimè loquuntur.*

II. Dei inviſibilia ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione Mundi perſpiciuntur æterna eius tum potentia, tum divinitas, 1. Rom. 20. Quorſum etiam naturale lumen, & unicuique conſertum congenitumque à Deo hominibus illuxit, niſi ut ab eo ad ipſum Deum imprimis relligioſè colendum dirigamur.

1. *Ideo rectiſsimè Socrates humanam Philoſophiam evocavit è Cælo, & in urbibus inter homines collocavit.*

2. *Et Natura quoddam erit rudimentum Gratiæ, & Philoſophia naturalis inchoatio quædam Relligionis: nec eſt Philoſophia, quæ hominem à Relligione ſemovet.*

3. *Faciliùs itaque admittitur in divinæ Sapientiæ abdita, acumen eius ingenij, quod in Philoſophiæ humanarumque diſciplinarum*

ciplinarum ſtudijs, quaſi ſuper cote limatum eſt.

4. Et divinæ illius Sapientiæ ſemina abſtruſa in myſteriis, in animo ſtudiis diſciplinarum humanarum præparato copioſius adoleſcent, & ſegetem fœcundiorem parient.

5. Quamvis igitur abſque omni contraverſia, divina Sapientia omnibus numeris humanam ſupergreditur, hæc tamen non prorſus indigna, quæ ſi non in contubernium, ſaltem in famulitium, accerſatur, ut velut ancilla Dominæ deſerviat, non imperitet.

6. Per diſciplinas igitur humanas quaſi gradu facto, opportunè ad divinas conſcenditur: & humana Philoſophia imprimis excolenda eſt, quatenus ad perfectiorem S. literarum notitiam commoda, & valde opportuna eſſe poteſt.

7. Peccant igitur miſerrimè, qui humanæ Philoſophiæ ſtudio adeo exorbitant, qui adeo ipſius amore inſaniunt, ut S. literas aut neglizant, aut aſpernentur: pulchrum putantes & decorum Philoſophis, errore impietatis involvi, cùm nihil à Philoſophi officio magis alienum ſit.

8. Peccant etiam, qui ad S. literarum prædicationem adſpirantes, humanam Philoſophiã adeò extimeſcunt, ab eaque abhorrent, ut ipſi ſtudere nefas omninó arbitrentur?

9. Vndè fortaſsis miſerandum illud diverbium manavit, multiſq; arriſit, Vltimus in longa linea, primus in pulpito.

III. Omnis ars, omnis Methodus, ſimiliter & actio & Prælectio aliquod bonum expetere videtur. 1. Eth. 1.

1. Pro varietate igitur boni generaliter conſiderati, prout in diſciplinis quæritur, genera Diſciplinarũ diſtinguenda ſunt.

2. Cùm igitur bonum hâc ratione triplex ſit, utile, honeſtum, & jucundum, triplex erit genus Diſciplinarum, unum circa utile, quod diſciplina Effectiva: aliud circa honeſtum, quod Philoſophia moralis: & tertium circa jucundum, quod contemplativa Philoſophia vocatur.

3. *Pauciora ſunt genera, velut communia capita diſciplinarum, quàm habitus mentis. 6. Eth. cap. 3. enumerati, & tamen omnis habitus intellectualis, omniſque doctrina ac diſciplina ad hæc tria revocantur.*

4. *Præter artem & Philoſophiam nulla eſt doctrina, quæ ſeparatim de ullis principiis pertractat.*

5. *Habitus principiorum ſcientialium, atque adeo omnis contemplativus, ſub habitu Philoſophiæ contemplativæ, quoad doctrinam comprehenditur.*

6. *Cuiuſlibet ſcientiæ eſt ſua principia conſiderare.*

7. *Ideo qualibet ſcientia etiam ſapientia dici poteſt.*

Colum. 7. Eth. cap. 14.

3. *Bonum igitur effectivum tantùm utile eſt, non honeſtum aut iucundum: practicum verò honeſtum, non utile neque iucundum: contemplativum denique iucundum eſt, non honeſtum aut utile, ſi hæc omnia propriè accipiãtur*

4. *Vtile igitur propriè dicetur, non quicquid fructuoſum eſt, ſed quod alteri tantùm inſerviens, per ſe non eſt expetendum: honeſtum, non quicquid propter ſe expetendum eſt, ſed in civili ſocietate: iucundum denique, non quicquid delectat, ſuique amorem conciliat, ſed quod nullum admixtum dolorem, nullumque exceſſum habet.* ἄτιν λόγος ἀτελὴς ὠφελιμία, ὅταν δὲ τῷ διαφέρειν ἐνέργεια. 7. Eth. cap. 12. οἱ μὲν λόγοι ἡδονὰς ἐκ ἔχουσιν ὑπερ-

IV. Δεῖ τὸν λόγον ἀληθῆ εἶναι, καὶ τὴν ὄρεξιν ὀρθήν. 6. Eth. cap. 2.

1. *Veritas differentia mentis propriè eſt, ſicut rectitudo, appetitus.*

2. *Ratio igitur omnium habituum mentis propriè non recta, ſed tantùm vera debet appellari.*

3. *Artis igitur & Prudentiæ rationes, propriâ conditione tantùm veræ ſunt.*

4. *Hinc Ariſt. rectam rationem non niſi virtuti morali propriè*

propriè, ac per se tribuit; Prudentiæ verò tantùm per accidens, quatenus cum virtute morali coniuncta est.

5. *Communis est* ἀνακυκλία, *quâ Aristot. interpretes communiter omnes, rectam rationem cum vera, tam in Artis, quàm Prudentiæ definitionibus confundunt; cùm in ijsdem, non rectam, sed veram semper rationem nominet.*

6. *Vt Prudentia, ita Ars nequit esse principium erroris.*

7. *Nullus igitur artifex quà artifex errare potest, sed tantùm quà artis ignarus,* ἀ τῷ μὴ ἔχειν, ἀ φάυλως ἔχειν, *ut loquitur Aristot. cap. 9. lib. 1. de Demonst.*

8. *Sicut omnis artifex est verus, ita artis ignarus propriissimè falsus dicetur.*

9. *Verus igitur esse potest, qui minimè verax est, & maximè verax, etiam falsus esse potest.*

V. Sanitas quodammodò fit ex sanitate, & domus ex domo; quæ materiam habet, ex ea quæ est sine materia. 6. Metaph. *cap. 7.*

1. *Non in naturalibus solùm, sed etiam artefactis, simile ex simili producitur.*

2. *Omnia fiunt quodammodò ex synonymo, ut naturalia: vel ex parte synonyma, ut domus ex domo: vel à mente. Ars enim forma est. 6. Metaph. cap. 9.*

3. *Non malè vera ratio artis, vera Idea, Exemplar, & Forma rei efficiendæ mente concepta appellatur.*

4. *Dicitur itaque vera ratio, non solùm quia verâ mentis ratione effingitur, sed etiam quia prædita est congruenti ratione omnium partium, tum inter se, tum per relationem ad finem artis proprium.*

5. *Ac proinde non tantùm simplicem finis cognitionem, sed omnium etiam ad eiusdem expressionem conspirantium, notitiam comprehendit.*

6. *Ideoque & simplicium apprehensionem in cognitione ter-*

minorum; & compoſitionem ac diviſionem, præſertim in principiorum conſtitutione : & denique diſcurſum, in concluſionibus ex principiis deducendis complectitur.

7. Ex *dictis definitionem* Artis *apud Ariſt. nempe* Habitus cum vera ratione effectivus, *ſic facimus conſpicuam: ut ſit habitus, quo operationem, aut opus in quavis materia edimus, ex ſimili operatione aut opere, per veram mentis rationem in ipſa mente efformata.*

8. Vera igitur ratio Artis, quamvis non ſit efficiens origine primum (hoc enim ipſa mens eſt) primum tamen eſt, tanquam principium formale, quo cauſa efficiens agit.

9. Ars *itaque, aut vera ratio ejuſdem, ſemper primum principium eſt operis artificioſi, quatenus artificioſum appellatur.*

10. Rectè *igitur dixit* Ariſt. *2. Phyſ. cap. 3. artem ædificandi eſſe* ἐμφανῆ, *ſummam cauſam ædificij: & 6. Metaph. cap. 7. formam in mente, à quâ producitur forma artificioſa, eſſe* τὸ τί ἦν εἶναι ἐνέργ. καὶ πρώτην ὕλην.

VI. Verè ingenuum & liberum hominem appellamus, qui ad ſcientias, & actiones virtutum propendet.

1. Ratio *igitur ingenuitatis, cùm in ſcientia mentis, tum in appetitus moderatione ſpectatur.*

2, Ingenuitatem itaque putamus vel ipſam eſſe honeſtatẽ, vel ab ea nullatenus ſeparandam.

3. Sicut honeſtas & virtus ex Ariſt. 6. Eth *cap. 13. vel eſt* φυσικὴ, *vel* κυρία, *(illa dicitur ipſa ad virtutem inclinatio, quæ eſt à nativitate: hæc aſſuetudine comparatur) ſic ingenuitas eaſdem differentias habere dicitur.*

4. Quamvis igitur homines naturâ ingenui dicantur, doctrina tamen eſt, & aſſuetudo, quæ ingenuitatem formet, firmat, & perficit in homine.

5. Vndè manifeſtum eſt, nullam artem ingenuam eſſe, quòd formam ingenuitatis impertiatur.

6. Sola

6. *Sola itaque Philoſophia (nempe Theoretica & Practica) diſciplinæ ingenuæ nomine honeſtatur; ſine qua, nullus reverâ ingenuus dici meretur.*

7. *Artes propterea ingenuæ, aut non ingenuæ, hâc ſolùm ratione nominantur, quòd homine ingenuo dignæ, aut indignæ ſint, aut fini hominis ingenui accomodatæ ſint, aut non.*

VII. Βέλτιστον ἔργον ἀνδρὶ ἐλευθέρῳ καὶ τέχνην τοιαύτην καὶ μάθησιν, ὅσαι ποιοῦσι τὰς χρείας καὶ πράξεις τὰς τῆς ἀρετῆς, ἄχρηστον ἀποφαίνεσθαι τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχήν. *S. Polit. cap. 2.*

1. Διὸ τὰς τε τοιαύτας τέχνας, ὅσαι τὸ σῶμα παρασκευάζουσι χεῖρον διακεῖσθαι, βαναύσους καλοῦμεν, καὶ τὰς μισθαρνικὰς ἐργασίας: ἀσχολον γὰρ ποιοῦσι τὴν διανοίαν, καὶ ταπεινήν. *Ibidem.*

2. *Hinc colligimus duo præſertim eſſe, quæ operationem artis illiberalem reddunt. Primò mentis* ταπείνωσιν, *præſertim ex* τῆς ἀσχολίας, *deinde* μισθαρνίαν. *Nam per eam mens redditur humilis & abjecta: per hanc, ad alius arbitrium magis quàm liberè vivitur.*

3. *Artes igitur illiberales ſunt, quæ vulgò mechanicæ, & ab Ariſt. ſpecialiter* χειρωνακτικαὶ, βαναυσικαὶ καὶ θητικαὶ *vocantur. Vt artes conficiendi veſtimenta, coquinariæ, fabrilis, ars fullonica, textoria, conficiendi calceos, & hujuſmodi operoſæ.*

4. *Ex lege oppoſitorum artes liberales dicentur, quæ corpus aut animum ad uſus actioneſque virtutum ineptum non reddunt; ſeu quæ nec corpus in deteriorem habitum inducũt, neque mentem nimiis laboribus impediunt, abjectãq; faciunt.*

5. *Non ſolùm artes ingenuæ ſunt, viroque ingenuo dignæ, quæ ſolâ mentis ratione exercentur, ut Logica; ſed etiam variæ, quæ manuum aliarumque partium corporis miniſterium requirunt, ut Grammatica, Muſica, Medica, Navigatoria, Agricultura, ars Pingendi, artes Gymnaſticæ, artes Spagiricæ: & in genere, quibus ex propria conditione, bonam etiam corporis valetudinem, robur, dexteritatem, agilemque membrorum flexionẽ nobis cõparamus, quibus ingenuè, uti tenemur, pro virtutis adeptione, aut exercitio.* 6. Ex

6. *Ex dictis satis constat artes ingenuas multò plures esse quàm septem, nempe Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Geometriam, Arithmeticam, Astronomiam, & Musicam: quamvis neque omnes hæ, quæ pro ingenuis apud veteres habentur, artes sint.*

VIII. Plurimùm refert quousque, quandò, & cuius gratiâ artibus operam navemus, ut Arist. 8. Pol. testatur.

1. *Artes propriâ conditione liberales alienâ, & accidentariâ conditione, in illiberales degenerare: & contrà, illiberales conditionem liberalium participare possunt.*

2. *Disciplinas quasdam illiberales, vel animi causâ, vel corporis exercendi, vel deniq; sanitatis acquirendæ, aut conservandæ gratiâ exercere, non est illiberale.*

3. *Homines maximè ingenui, etiam Reges, aut Imperatores, mechanicis quibusdam operationibus, absque ulla labe, aut ignominia incumbere possint.*

2. Ὁ πρῶτον τί ἄλλος, θητικὴν, ἢ δουλικὴν δόξειν ἂν παρεῖναι. 8. Pol.

3. *Mercenarij ingenui esse nequeunt.*

4. *In disciplinarum ingenuarum vel acquisitione, vel usu lucrum præcipuè spectare, illiberale est.*

5. *Qui ex disciplinarum ingenuarum professione, lucrũ præcipuè, aut unicè quærunt, Sophistarum fraudem potiùs quàm ingenuè docentium candorem sectantur.* ὁ γὰρ Σοφιστὴς ἔστι χρηματιστὴς ἀπὸ σοφίας φαινόμενος. 1. *Sophist. cap.* 11.

IX. Cùm trifariàm bona distribuantur, quæ animi sunt, principalia, & maximè bona vocamus. 1. Eth. cap. 8

1. *Virtutes & bona animi pluris sunt, quàm ut cum terrenis, semperque variabilis fortunæ bonis conferri debeant, nedum ipsis præmium, pretiumque pro dignitate constitui possit.*

2. *Bonarũ artiũ professiones prorsus non sunt mercenariæ.*

3. *Ideoque professores ipsi quà tales, nullâ ratione pro mercenarijs habendi.*

4. *Vtut*

4. *Vtut tam privatim quàm publicè Philoſophantibus cõſtituta ſint præmia aut ſalaria, his tamen, non rei pretium, ſed laboris ſolvitur.*

5. *Qui igitur in bonis artibus, ſtudiiſque honeſtis juventuti inſtituendæ vacant, mercedem non meriti, ſed occupationis ferunt.*

6. *Et quamvis pretium operæ forſan redditur, animi tamen ſemper debetur.*

THESES LOGICÆ.

I.

EFfectio propriè dicta, prout ab actione morali diſtinguitur, eſt operatio ab Intellectu, ſine præelectione, aut perturbatione, gratiâ præſtantioris boni producta.

1. *Igitur effectibile propriè dictum erit, quicquid ſub talem operationem cadit.*

2. *Notiones Logicæ propriè* ens rationis *ſunt.*

3. *Habitus Logicæ eſt habitus propriè effectibilium.*

4. *Logica igitur ars propriè dicta: immò cum ſola mentis ratione tum fiat, tum exerceatur, omnium artium maximè ingenua eſt.*

5. *Non omne effectibile eſt materiatum, neq; omnis effectio tranſiens eſt.*

II. Τὸ δὲ εἶδος μερικὸν, ὃ πολλοῖς ἀνθρωπωνύμως &c. *Porph.*

1. *Natura non dicitur universalis, ex eo solùm quòd in se una, aut communis, sed quòd una sit multorum, multisq; communis, aut una, in qua multa conveniunt.*

2. *Natura sine conditionibus individuantibus Intellectui repræsentata, tantùm negativè una aut cõmunis est, nõpositivè.*

3. *Igitur Natura sic considerata non est actu universalis, sed potentiâ; non est Logicum universale, sed Metaphysicum.*

4. *Non itaque per nudam abstractionem, sed comparationem Intellectus, efficitur actu universale: neque universale absolutum est, sed relativum.*

III. *Album* præcisè consideratum, non est magis accidens prædicabile, quàm species: nec *risibile* præcisè & absolutè conceptum, magis proprium est quàm species.

1. *Vniversale per modum absoluti, seu (ut loquuntur) per præcisivam Intellectus considerationem, eiusdem est rationis in quocunque Vniversali.*

2. *Vniversale igitur ut sic consideratum, in quinque Vniversalia tanquam species dividi non potest.*

3. *Sub hac itaque ratione, Vniversale ad quinque Porphyriana non refertur, ut genus ad species, sed ut subiectum ad accidentia, vel ut fundamentum proximum ad varias relationes, quibus denominari potest.*

4. *Vnde cùm à Logicis Vniversale, ut prædicabile, dicitur genus ad quinque Vniversalia, sumendum est formaliter, prout relativum est ad multa in communi conceptum.*

5. *Hinc per comparationem ad diversa, idem album & accidens, & species: risibile, & propriũ & species denominatur.*

IV. Universale est quod pluribus aptum est convenire, aut de pluribus prædicari.

1. *Vniversale semper ad multa, sive particularia, sive singularia refertur.*

2. *Vniver-*

2. *Vniversale igitur ut tale, non nisi à particularibus suis abstrahitur.*

3. *Differentia specifica, aut proprium, prout universalia sunt, à specie reciproca non abstrahuntur: vel species dicetur quoddam particulare, saltem secundùm numerum, si non secundùm formam.*

4. *Vltima igitur Differentia, & proprium, non dicuntur formaliter universalia, quatenus speciem respiciunt.*

5. *Hæc igitur attributa si Metaphysicè sumantur, priùs de specie quàm individuis: at verò logicè, & prout universalia, priùs de individuis quàm de specie prædicantur.*

6. *Quòd sola accidentia communia dicantur de individuis* συμβεβηκότως *prædicari, respectu entitatis non universalitatis ipsorum accipiendum est.*

V. Οὐδαμοῦ τὸ μερικὸν τὸ ὅλου κατηγορεῖται. 4. Top cap. 5.

1. *Necesse est prædicatum essentiale, vel actu, vel potentiâ continere quicquid continet subiectum.*

2. *Genus desumitur à tota specici entitate, ut imperfecta ac determinabili: & differentia ab eadem, sed ut perfecta & determinata.*

3. *Vnde sequitur tam genus quàm differentiam significare totam naturam speciei, illud quidem sub ratione contrahibilis, hanc verò contrahentis.*

4. *Genus igitur & differentia absque præcisione (ut loquuntur) hoc est confusè considerata, unam & eandem rem significant. Nam animal absque præcisione, etiam rationale in confuso importat: & rationale absque præcisione, naturam animalis confundit, aut supponit.*

5. *Ergò possunt de se invicem per se, sed identicè prædicari,*

6. *Dum genus negatur de differentijs prædicari, & contrà, prædicatio formalis, & secundùm formales, ac distinctas ipsorum rationes intelligitur. Genus enim non est in essentia differentiæ, nec contrà.*

VI. Continuum est quantum, cujus partes communi termino copulantur.

1. Communis terminus est in essentia continui.

2. Indivisibilia continuantia sunt actu in continuo.

3. Quòd igitur infinita indivisibilia in quo vis continuo tantum potentiâ dicantur: non respectu continuationis, sed distinctionis, seu divisionis partium continui accipiendum est.

VII. Genus assimilatur materiæ; differētia formæ. Por.

1. Genus igitur potentiâ continet omnes sub se differentias, actu verò nullam. cap. 3.

2. Omnes species in genere sunt potestate, actu autem, nullæ.

3. Partes integrantes continui, ejusdē species esse nequeunt.

4. Tempus præteritum & futurum non sunt species temporis: immò cùm duo tempora specie simul esse nequeant ex Arist. Tempus nullas omninò species habere potest.

5. Tempus secundùm continuitatem & extensionem consideratum, species infima est.

6. Et cùm tempus principale, numerus sit primi ac individui motus cœli ex Arist; Tempus in numero specierum est, quarum unum duntaxat individuum subsistit.

VIII. *Quando* actu & expressè nullam extensionem aut durationem, sed nudam & simplicem temporis accommodationem quærit.

1. Quandò *nullam continuitatem partium temporis formaliter importat.*

2. Præteritum & futurum non sunt actu in Quando, *sed tantùm potestate.*

3. Quæ non sunt species temporis in Quanto, *possunt ejusdem esse species in* Quando.

4. Et ex infima specie unius Categoriæ, genus generalissimum, & species subalternæ alterius possunt resultare.

IX. Discretum vel ex voce, multa importat nullo communi copulata. *1. Dis.*

1. *Discretio non in una solùm unitate reperitur.*

2. *Non igitur ab ultima solùm in numero. sed ab omnibus unitatibus, numerus dicitur quantitas discreta.*

X. Differentia continet gradum perfectionis genus determinantem.

1. *Cùm itaque genus numeri communem rationem extensionis, aut divisibilitatis discretæ contineat; differentia cujusvis specici, debet continere gradum specialis cujusdam extensionis, & divisibilitatis.*

2. *Differentia numeri non à sola ultima unitate, sed ab omnibus specialiter sic ordinatis sumi debet: ut differentia Ternarij à tribus unitatibus sic ordinatis, ut duæ sint præsuppositæ, quæ ab ultima determinentur.*

3. *Essentia Ternarij (par ratio cæterorum) ponitur in ordine numerabilitatis, quam dicit unitas qualibet ad duas reliquas, quatenus nimirum priùs ant posteriùs numerari potest, sive eas præsupponat, sive ab ijsdem præsupponatur.*

XI. Nomen infinitum est quod similiter omni convenit, vel enti, vel non enti, excepto finito.

1. *Nomen infinitum præter negationem, affirmationem infinitam necessariò includit.*

2. *Nomina quæ cum adjuncta negandi nota, de nullo aut ente, aut non ente affirmari possunt, nequeunt infinitari.*

3. *Opinabile, Intelligibile, Imaginabile &c. non possunt infinitari.*

4. *Non omne nomen potest infinitari.*

5. *Non imaginabile, non intelligibile &c. simplices tãtùm sunt, & puræ negationes.*

6. *Datur contradictio simplex, cujus affirmatio semper*

4. *Quædam nomina finita de omni ente & non ente affirmari possunt.*

5. *Nomen finitũ ac positivũ potest infinita significare secundùm numerũ & materiã.*

6. *Finitum itaque dici-*

vera, & negatio falsa determinatè, in omni propositione: ut Imaginabile, & Non imaginabile.

tur quòd secundùm formam, significationem finitam & determinatam habeat.

XII. Τὸ νῦν & Præsens, Tẽporis cõmunis terminus est.

1. *Igitur finis præteriti, & initium futuri.*

2. *Tempus præteritũ & futurũ per præsens determinãtur.*

3. *Nil igitur præteritum aut futurum est, nisi in præsenti: res enim in tempore præterito non est præterita, sed præsens, præterita autem est in præsenti; similiter res futura non in tẽpore futuro futura est, sed in præsenti.*

4. *Convenienter itaque in propositionibus necessarijs, quæ sunt sempiternæ veritatis, verbum in præsenti, ab omni tempore determinato absolvitur.*

XIII. Veritas enunciationis est adæquatio, seu conformitas orationis significantis cum re significatâ.

1. *Veritas omnis ponitur in indivisibili, neque medium ullum habet respectu falsitatis.*

2. *Vna enunciatio non est alterâ verior.*

3. *Propositio probabilis secundùm rationem adæquationis tam vera est, quàm necessaria;. & propositio quæ non semper vera est, tam est vera, quàm quæ est sempiternæ veritatis,* οὐ γὰρ τὸ ἀληθὲς εἶναι μᾶλλον ἀγαθὸν ἐστι, ἢ τὸ μὴ λευκότερον τὸ πολυχρόνιον τοῦ ἐφημέρου *1. Eth. cap. 6.*

4. *Quòd una propositio aliâ verior dicatur, non formaliter, sed causaliter intelligendum est: nempe quòd majorem, ac potiorem causam & fundamentum habeat suæ veritatis.*

5. Deum esse, *propositio verior est, quàm* angelum esse, hominem esse, aut hominem esse rationalem.

XIV. Huic propositioni *Impossibile est omne animal esse hominem*, de Necessario non æquipollet hæc, *Necesse est omne animal non esse hominem*; nam illa vera hęc falsa est.

1. Regu-

1. *Regulam igitur æquipollentiæ* Necessarij & Impossibilis (*nempe quòd sese consequantur, cum repugnantia in dicto*) *quamvis in indefinitis, minimè tamen in universalibus, aut particularibus ratione dicti, simpliciter absque syncategorematis variatione, tenere putandum est.*

2. *Idcirco ut veram æquipollentiam, cum appositione syncategorematis in modalibus habeamus, sequentes regulæ, anemine Logicorum priùs expressæ, observandæ sunt.*

3. 1ª. Possibile & Impossibile *sese consequuntur contradictoriè, absque ulla syncategorematis variatione. Vt* Impossibile est omne animal esse hominem, & Non possibile est omne animal esse hominem: Possibile est aliquem hominem esse album, & Non impossibile est aliquem hominem esse album: Impossibile est nullum animal esse hominem, & Non possibile est nullum animal esse hominē.

4. 2ª. Necessarium *sequitur ad* Impossibile *contrariè; ad* Possibile *verò, & contrariè, & contradictoriè: verùm non nisi cum syncategorematis variatione, nempe universalis in particulare, & contrà.*

5. *Inter sese igitur æquipollebunt sequentes,* Impossibile est omne animal esse hominē, Non possibile est omne animal esse hominē, & Necesse est aliquod animal nō esse hominē. Possibile est nullū hominē ambulare, & Non necesse est aliquē hominē ambulare. Necesse est omnē hominem esse animal, & Non possibile est aliquē hominē non esse animal. Possibile est aliquem hominem non esse album, & Non necesse est omnem hominem esse album.

XV. *Aliquis homo semper est animal,* per universum tempus rem ponit. *Omnis homo in senectute canescit,* rem ponit per aliquod tempus duntaxat; quis tamen hanc particularem, illam universalem esse affirmaret?

1. *Ridiculū est, aut valdè inconveniens præsertim respectu*

syllogismi

ſyllogiſmi, quantitatem alicuius enunciationis, tempore cohæſionis attributi cum ſubiecto menſurare.

2. *Non ſolùm in puris, ſed etiam modalibus omnium huc uſque Logicorum opinioni renunciamus, qui quantitatem enunciationis modalis non niſi ex tempore determinant.*

3. *Quantitas igitur in modalibus, ſimiliter ut in puris omnino determinanda eſt; ſed ſenſus enunciationis modalis, ex aliqua pura, tanquam æquipollente inquirendus eſt.*

4. *Hæc igitur enunciatio*, Impoſſibile eſt omne animal eſſe hominem, *quia ſenſum habet hujus particularis puræ*, Non omne animal eſt homo, *non univerſalis affirmantis, ſed particularis negantis rationem habet. Similiter hæc*, Non neceſſe eſt aliquem hominem non eſſe album, *cùm reipſa huic puræ æquipolleat*, Omnis homo eſt albus, *Univerſalis affirmans erit.*

5. *Si enunciationes de Impoſsibili & Neceſſario ſimiliter cõvertantur ut in ſimplicibus, ex Ariſt. cap. 4. lib. 1. Prior. prior illa quamvis veriſsima, ob prædictam tamen rationem converti non poteſt: poſterior autem convertitur in hanc*, Non neceſſe eſt nullum album eſſe hominem. *Quia ſenſum hujus ſimplicis habet*, Aliquod album eſt homo.

XVI. τὸ φῶς ποιεῖ τὰ δυνάμει ὄντα χρώματα ἐνεργείᾳ χρώματα, *3. de Anima. text. 18.*

1. *Lumen in objecto viſui eſt neceſſarium, tanquam actus quidam coloris quatenus viſibilis dicitur.*

2. *Propterea lumen etiam actu includitur in objecto viſionis, tanquam terminus actualis dependentiæ objectivæ, ſeu ratio formalis ipſius objecti.*

3. *Facultas viſiva eodem etiam actu fertur in colorem & lucem; non ita ut lux ſit* Quod *videtur, ſed tantùm* Quo, *velut ratio formalis videndi, ut diximus.*

4. *Quatenus igitur Intellectus aſſentitur concluſioni propter principia*

principia tanquam formalem rationem assentiendi; pari ratione, eodem actu simul in conclusionem & principia Intellectus ferri dicetur.

5. *Dicimus itaque assensum principiorum in assensu conclusionis formaliter includi.*

6. *Ideoque obiectorum specie distinctorum, unum poterit ab altero formaliter dependere, tanquam ratione assentiendi.*

7. *Non hinc sequetur assensum principiorum includi in assensu conclusionis, tanquam aliquid ipsi intrinsecum ut* Quod *Intellectus concipit, dum assentitur conclusioni (nam sic extrinseca sunt principia, specieque distincta) sed tanquam aliquid ipsi intrinsecum ut* Quo, *adeoque sine quo, nec esse, nec intelligi potest assensus conclusionis, à principiorum assensu dependens.*

8. *Cùm igitur scientia conclusionis dicitur acquiri ex præexistente cognitione, præsupponitur tantùm ut* Quod, *sed actu includitur ut* Quo.

9. *Ex dictis tandem optima cum ratione concludimus cognitionem principiorum, ad doctrinam scientialem spectare, & Intellectum qui est habitus principiorum, semper sub scientia qui habitus conclusionis est, secundùm doctrinã comprehendi.*

XVII. Essentialis definitio affectionis est ceu conclusio demonstrationis: perfecta autem, est tota demonstratio ex Arist.

1. *Essentialis itaq; affectionis definitio, perfecta esse nequit.*

2. *Causa seu medium demonstrationis non ingreditur definitionem affectionis essentialem.*

3. *Maior propositio demonstrationis* Δότι *non est in secundo modo* Per se, *nec ipsius conversa in primo.*

4. *Propositio igitur in qua affectio tribuitur causæ etiam subiecto internæ, aut contrà; vel in nullo, vel tantùm in quarto modo* Per se *esse dicetur; quamvis demõstrantes cõmuniter omnes contrarium affirment.*

THESES ETHICÆ.

I.

Ἠθικαὶ ἀρεταὶ συμπεπλεγμέναι εἰσὶ τοῖς πάθεσι, καὶ περὶ τὸ σύνθετον ἂν εἶεν· αἱ δὲ συνθέτου ἀρεταὶ, ἀνθρωπικαὶ· αἱ δὲ τοιαῦται, κεχωρισμέναι. 10. Eth. cap. 8.

1. *Quis non videt ex mente Ariſt. virtutes & actiones civiles, cum affectibus & corpore neceſſariò complicatas: contemplationẽ verò ſeparatã eſſe.*

2. *Quæ perturbationibus carent, actiones civiles propriè ipſis non conveniunt: verùm contemplatio benè convenire poteſt.*

3. *Actiones igitur civiles propriè humanæ ſunt: at contemplatio divina:* εἰ γὰρ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος, θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον. 10. Eth. cap. 7.

4. *Ex dictis ſequitur virtutes & actiones civiles, Diis non convenire ſecundùm Ariſt.*

5. *Sequitur etiam mentis contemplationem, adeòque vitam contemplativam, quæ Dijs convenit, vitâ & fœlicitate activâ longè præſtantiorem eſſe.*

II. Ex Philoſophia naturali, generationis principium, idem & conſervationis eſt.

1. *Quare omnium rerum principium, primuſque Motor, qui omnia produxit, omnia dicitur etiam conſervare, omnibuſque providere.*

2. *Igitur injuriosè admodùm nonnulli Philoſophiæ Ariſtotelicæ*

telica ignari, Aristotelem aliosque Philosophos calumniantur, quòd putent Deum nudâ contemplatione contentum, nullam creaturarum curam habere, neque aliquam providentiam actionibus suis in earundem usum exercere.

3. Aristoteles igitur dum actiones civiles Diis minimè tribuit, de hujusmodi actionibus, quæ Deorum essent inter seſe, aut quæ cum affectibus conjunguntur; non de actionibus erga creaturas, & specialiter erga hominem loqui putandus est.

4. Deum igitur erga creaturas, quamvis non proprietate, eminentiâ tamen, omnes civiles virtutes habere, omnesque exercere secundùm Arist. doctrinam affirmamus.

5. Quem itaque Deum ob summam excellentiam, atque perfectionem, in aliis præsertim Deos Aristoteles negat esse liberalem, justum, fortem &c. tanquam fontem tamen omnis boni, atque ipsius summi boni authorem beneficum agnoscit, cap. 9. lib. 1. Eth. dum ipsam fælicitatem, θεοδοτον Dei donum appellat.

6. Et quæ dicit Arist. de Deorum contemplatione, orthodoxæ veritati minimè repugnant, si abjuratâ Deorum multitudine, de personarum Trinitate, in Deitatis unitate loquamur; nulla siquidem actio divinior est contemplatione, quâ ante rerum primordia, & ab omni æternitate, Personæ seſe contemplantes (si humanitùs loqui liceat) vitam optimam, tranquillissimam, sufficientissimam, & jucundissimam vixerunt.

III. Εστι τὸ ζητούμενον, διοχλεῖν τὸ πρακτὸν μᾶλλον, ἢ τὸ δίκαιον

1. In Justitia igitur ὃν ἀεὶ τὸ πρακτὸν, καλὸν. Ibid.

2. Et τὸ πρακτὸν ἐπιγινόμενον καλὸν πᾶσιν δ' ὄν. Ibid.

3. In hoc igitur à cæteris virtutibus distinguitur, in quibus ἄνευ τῦ ἑτέρου ἐστὶ, ἡ φρόνησις, καλὰ ἔστι Ibid.

4. Quòd si in cæteris tale quidpiam inveniatur, non simpliciter sed sub ratione Justitiæ (nam omnis virtus quadam Justitia est) hoc contingere putandum est.

IV. Verè bonum existimamus omnem fortunam decenter ferre, & ex præsentibus semper pulcherrima facere. 1. Eth. cap. 10.

1. *Vir probus honesta aget, scelera non patrabit, nec ullâ infamiæ notâ turbabitur.*

2. *Verecundia in virum probum cadere non potest.*

3. *Igitur non est virtus, sed perturbatio, nullâ etiam virtute morali formanda.*

4. *Non omnis perturbatio virtute aliquâ Ethicâ formatur.*

5. *Cùm itaque* ἐξῶν *definiantur,* καὶ ὁ περὶ τὰ πάθη ἔχων ἐν ἢ πάθει, *illæ solùm intelliguntur perturbationes, in quibus servatis circumstantijs* τὸ εὖ, ἢ μὴ εὖ *reperitur.*

4. *Quæ huic opponuntur tanquam extrema, nempe* ἀναισχυντία ἢ κατάπληξις, *non sunt vitia, sed extremæ perturbationes.*

5. *Non solùm ob virtutes, sed etiam aliquas perturbationes laudamur & vituperamur.*

6. *Dicimus propterea Arist. 2. Eth. cap. 5. hoc negantem, de perturbationibus solùm virtute formãdis intelligendũ esse.*

V. Prudentia cum virtute ethica, & hæc cum Prudẽtia conjungitur. 10. Ethic. 8.

1. *Per virtutem moralem circumstantias in agendo semper observamus.*

2. *Virtute praditi, dum sese offert occasio, nequeunt absque virtutis eversione, vel non uti, vel malè uti virtute morali.*

3. *Cùm igitur vir justus injustum facinus patrat, vel cùm debeat justè agere, non agit; desinit esse justus, suamque justitiam evertit.*

4. *Hinc etiam contingit, ut unica actio mala innumeras probas labefactet, non solùm ob virtutum connexionem, sed etiam, quia ipsius virtutis naturam convellit.*

5. *Virtutis igitur moralis, sicut Prudentiæ, proprium erit, ut*

ut regula sit, non solùm bonitatis, sed congruentis usus actionum humanarum.

6. In hoc igitur virtus moralis, atque etiam Prudentia, à cæteris virtutibus mentis distinguuntur: quia de ratione virtutum mentis solùm est vera ratio, ad cognitionem aut effectionem pertinens, non verò ad earundem usum.

7. Ideò potest quis malè uti scientia aut arte, quamvis ob id, scientiam aut artem in animo non evertat.

8. Atque ob hanc imprimis rationem, actiones virtutum 1. Eth. cap. 10. ipsis scientijs firmiores esse dicuntur.

VI. Obedientia est libera & constans dispositio implendi pro facultate mandata legittimi superioris, gratiâ honesti, & ejus quod decet.

1. Hinc varia porismata. 1. Infera superis, sensus rationi, mortalia æternis, subditi magistratibus propriè obediunt.

2. Dum supera obtemperant inferis, non obedientia, sed violentia dici debet: non dispositio naturæ consentanea, sed natura perversio: non imperium, sed tyrannis: ut cùm ratio sensui, magistratus subditis auscultant.

3. Qui consultoribus obtemperant, jure id faciunt: nam ut is qui benedicit, ita qui benè consulit, consilio præesse dicitur.

4. Principes, Reges, & Imperatores debent τοῖς ἰφθοῖς auscultare secundùm illud, Plus vident oculi quàm oculus.

5. Non licet unicuique de actionibus & decretis Principum judicare, aut ea permutare quæ in sacris conciliis, consensione multorum sapientum, Dei nomine aggregatorum deliberata, & decreta sunt.

6. Æqualis non propriè suo æquali obtemperat; sed ei opem fert, aut comitem præbet, non secùs ac amicus amico.

7. Catenis devincti, non verè obediunt, sed coguntur: sic qui lucri gratiâ obtemperant, non ingenuam, sed servilem reddunt obedientiam.

VII. Amor & Amatio affectionem amantis erga rem amatam ſignificant, quam contentio & appetitio conſequuntur. 9. Eth. cap. 5. Amicitia verò habitui eſt ſimilior. 8. Eth. cap. 5. & in par pari referentibus locum habet, minimèque latere debet. 8. Eth cap. 2.

1. *Amor poteſt eſſe ſine amicitia, non contrà.*

2. *Et amicitia tria ſuperaddit amori, conſtantiam: viciſſitudinem, ſeu retributionem: & perſpicuitatem ſeu notitiam.*

3. *Amor poteſt convenire jumentis, amicitia minimè.*

4 *Et inter homines qui amat, non neceſſariò redamatur: ſed amicitia ſemper mutua eſt: nam amicus amico amicus eſt.*

VIII. Vera Amicitia eſt proborum mutuus, conſpicuus, confirmatuſque amor.

1. *Igitur perturbatio eſt, non virtus.*

2. *Virtuti tamè ſimilis eſt, tanquam uſus, aut fructus ipſius, præſertim Iuſtitiæ, quæ alium reſpiciens, ſuum cuique tribuit.*

3. *Eſt igitur virtuti præferenda, non ſimpliciter, ſed tanquam fructus eam præſupponens.*

THESES PHYSICÆ.

I.

GEneratio eſt mutatio in materia, à non eſſe, ad eſſe ſimpliciter.

1. *Privatio igitur principium eſt generationis eſſentiale.*

Materia, Forma, & Privatio.

1. *Tria ſunt tantùm principia generationis eſſentialia,*

2. *Alia*

2. *Alia requiruntur ad eſſentiam rei in fieri, quàm in facto eſſe.*

3. *Et principium rei per accidens, poteſt ejuſdem principium eſſe per ſe.*

2. *Generans non eſt de eſſentia generationis, pro mutatione ſubſtantiali.*

3 *Generatio igitur non eſt actio: neq; generans agens, ſed ſubſtantialiter mutans.*

II. Generatio eſt mutatio totius, eodem manente ſubjecto, ſub utroque termino.

1. In qualibet igitur generatione, eadem numero materia manet in genito, quæ fuit in corrupto.

2. Eadem numero materia poteſt eſſe ſub diverſiſſimis formis, & toto genere diſtinctis.

3. Materia tot mutat exiſtentias formales, quot formas: & ſub ſingulis, diverſum eſt numero formaliter exiſtens.

4. Ideo nulla forma ſpeciem, aut numerum dat materiæ, ſed toti compoſito.

5. Forma igitur eſſentiam, aut exiſtentiam formalem, propriè tantùm compoſito, non materiæ tribuit.

6. Cùm igitur materia ſub utroque termino generationis, ſubjectum idem numero exiſtens eſſe dicatur, propriam habebit exiſtentiam, diſtinctam à formali.

7. Poteſt per ſe ſubſiſtere, propriamque habere exiſtentiam, quod nunquam abſque aliqua forma ſubſiſtit, imò ſubſiſtere non poteſt, σῶμα γὰρ πᾶν ὑδὲν· οὔτε χωριστὸν τὸ ὕλον. 1. *de Ort* 5

8. Actum igitur entitativum materiæ approbamus, quo eadem exiſtens, omnium formarum capax eſt, tanquam Platonis μεταλλακτικὸν, ἢ πανδεχὲς. 4. *Phyſ. text.* 15. *Empedoclis* πλανῆται. 1. *Phyſ.* 83: *& Anaxagoræ, ac Democriti* πανσπερμία, 1. *de Ortu, text.* 1.

III. Magnitudinem ſequitur motus, & motum tempus, & quòd quanta, & continua, & diviſibilia ſint. 4. Phyſ. cap. 12. text. 113.

1. *Non*

1. *Non solùm in partibus, sed terminis etiam analogiam servabunt.*

2. *Cùm itaque ex Arist. 6. Phys. par ratio sit in omnibus, quoad finitatem & infinitatem partium, quilibet motus definitus, sicut tempus, & magnitudo quævis definita, sine dubio, indivisibili intrinseco terminabitur.*

3. *Quilibet igitur motus non in fine solùm, sed etiam in principio intrinsecè terminatur.*

4. Mutatum esse *non est terminus motus simpliciter.*

5. *Terminus igitur motus, qui simpliciter puncto in linea, & momento in tempore respondet,* τὸ ῥηϊμμενον, *vel* διαίρεσις κατὰ τὸ νῦν *ex Arist. vocabitur.* τὸ νυν δὲ τὸ ῥηϊμμενον ὅτου μηδὲν ἐχρῆν. *4. Phys. text.* 105. ἐκ ἔστι τὸ νυν μόριον τοῦ χρόνου, ἀλλ' ἡ διαίρεσις τοῦ κινήσεως, ὥσπερ καὶ ἡ στιγμὴ τῆς γραμμῆς. *Ibidem textu* 107.

6. *Cùm itaque ex eodem Arist. 6. Phys. cap. 3. text. 32.* τῶν τὸ μεταβάλλον διαιρετὸν *sit: in motu hæc tria* μεταβάλλον, μεταβλητὸν, καὶ ῥηϊμμενον *perspicuè distinguentur. Nam* μεταβάλλον *divisibile:* μεταβλητὸν *indivisibile, sed tantùm in fine:* ῥηϊμμενον *denique simpliciter indivisibile ipsius motus erit.*

IV. Si duo motus, unus altero velocior, per idem fiant spatium, eandem habent extensionem magnitudinis, sed inæqualem durationem, etiam reipsa, & sine dependentia ab Intellectu, ut manifestum est.

1. *Ergo necesse est ex natura rei durationem partium motus, ab earundem successione distingui.*

2. *Tempus itaque ex natura rei formaliter à motu distinguitur.*

3. *Tempus non est motus actu numeratus per prius & posterius.*

4. *Omnibus hominibus dormientibus, aut non existentibus, tempus cum motu & realiter, & formaliter existit.*

V. Manum quæ solari luce incaluit, refrigerat aqua, utique

utique ſuo frigore, illius calorem reſtinguendo.

1. *Ergo frigus aquæ, etiam calori cæleſti verè contrariũ eſt.*

2. *Cum una ſpecie qualitas duabus extremis (niſi una exceſſus, & altera defectus rationem habeat) ſpecie diſtinctis non adverſetur, dicendum eſt calorem cæleſtem, ejuſdem eſſe ſpeciei cum elementari.*

3. *Et ſicut Ariſt. 5. Phyſ. text 31. dixit omnem albefactionẽ cum omni albefactione eſſe ejuſdem ſpeciei: ita nos ab Ariſt. non alieni, omnem calfactionem cum omni, in eadem ſpecie convenire affirmamus.*

4. *Quòd itaque calor ob varias cauſas accidentarias, effecta ſpecie diſtincta producat, (ut nunc ſalutaris ſit, nunc noxius, nunc foveat, nunc adurat, nunc vitam defendat, nunc interitum promoveat) per ſe tamen primò, & vi ſuâ unum duntaxat effectum immediatè edit: nempe calefactionem, quæ ſola prima & immediata ipſius actio appellatur.*

VI. Unumquodque ſimplex corpus in Univerſo, unicum locum naturalem ſecundùm naturam expoſcit: at plures qualitates alteratrices, naturæ ſuæ congruentes habere poteſt.

1. *Conſequens eſt, ut unam duntaxat lationem naturalem habeat: at plures alterationes ſubire nil vetat.*

2. *Duo corpora ſimplicia ſpecie diſtincta, unum ſpecie motum habere nequeunt; nec unum ſpecie ſimplex, duas diſtinctas ſpecie lationes ſecundùm naturam, propriamque naturæ inclinationem.*

3. *Motus aquæ & terræ deorſum, ſpecie diſtinguuntur.*

4. *Neque Aqua ex naturæ ſuæ inclinatione, ad centrum moveri poteſt, quamvis eò ſit progreſſura, ſi aut urgeret periculum vacui, aut infrà inveniret aerem, ignemve; quibus tanquam levioribus, Naturæ Univerſalis decreto, ſeſe ſemper ſupponeret.*

VII. In naturali elementorum dispositione, τὸ μὲν περιέχον, τῆς ὕλης ἐστὶ, τὸ περιεχόμενον, τῆς εἴδους. 4 de Cœlo cap. 4.

1. *Partes Mundi superiores & inferiores ita sese respiciunt, ut una ab alia dependeat: unaque ad aliam tanquam potestas ad actum referatur.*

2. *Vtut igitur Mundus non est unus unione formæ totam materiam ut continuam informante, non tamen unus est per aggregationem, sicut cumulus: sed per partium subordinationem unus est.*

3. *Mundus itaque unus est mediâ quadam ratione, inter unum formaliter, seu per unam formam, & unum per accidens, aut aggregationem.*

4. *Et unus quidem numero, non ut quid continuum, sed per similitudinem, & analogiam, sicut unum per subordinationem plurium.*

5. *Vnde sequitur unum esse specie, atque etiam genere, verùm per negationem, non affirmationem: quia multiplex non est, nec esse potest.*

6. *Mundus itaque suâ conditione unus, est Totum, Vniversum, & Perfectum, ex tota & universa materia constans.*

VIII. Humidum & Siccum, Calidum & Frigidum, materia sunt compositorum: aliæ autem differentiæ hæc consequuntur, ut Gravitas & Levitas &c. 2. de part. Anim.

1. *Principia lationis elementorum, posteriora sunt principijs generationis.*

2. *Et consequenter ipsa latio posterior est generatione in eodem, quâvis absolutè in Vniverso, omniũ mutationũ prima sit.*

3. *Origine prius est elementa esse mobilia ad formam, seu generabilia, quàm mobilia ad locum.*

IX. Elementa per gravitatem & levitatem primò Mundum suo ordine constituunt: deinde per primas qualitates in se invicem permutantur.

1. *Iure*

1. *Iure igitur Ariſt. ordinem ſervans naturæ, prius in libris de Cælo, de gravitate & levitate diſſeruit: poſterius in libris de Ortu, de quatuor primis qualitatibus.*

2. *Elementa prius ſunt mobilia ad locũ, quàm generabilia.*

3. *Non ſolùm ſimpliciter, & in Vniverſo, latio omnium mutationum prima eſt, ſed etiam prior eſt generatione in eodẽ: ſicut in elementis apparet.*

4. *Vt apparens igitur contradictio in prædictis removeatur, dicimus elementa ex Ariſt. abſolutè, & ſecundùm ſe tota, æterna eſſe, at ſecundùm particulas ortui & interitui obnoxia: gravitatem verò & levitatem non eſſe prima principia lationis, ſed prima hæc, quæ ipſæ ſunt elementorum naturæ, duntaxat circumſcribere.*

X. Abſque permutante, aut virtute ipſius, nulla poteſt eſſe permutatio.

1. *Ideoque neque ulla actio Phyſica.*

2. *Propterea in omni Phyſica actione, neceſſe eſt ut patiens tangatur, vel à primo agente, vel à corpore virtutem ipſius deferente.*

3. *Omnis itaque actio corporum Phyſicorum, ſive prima, ſive ſecunda, eſt per contactum immediatum.*

4. *Nulla actio immediata dicitur, niſi reſpectu primi agentis.*

XI. Activæ qualitates in elementis, remitti poſſunt per admiſtionem gradus contrarij, ſine aliqua materiæ, aut ipſorum corporũ commiſtione: at paſſivæ ita materiales ſunt, ut remitti ſine cõmixtione corporũ nõ poſſint.

1. *Hinc eſt quod activæ ſecundum elementorum à Cælo diſtantiam, in ipſis intenſiores, aut minus intenſæ: paſſivæ non ita, ſed in omnibus intenſiſſimæ exiſtant.*

2. *Ignis non eſt ſiccior terrâ, neque aqua aere humidior eſt: ignis tamen aere eſt calidior, & terra frigidior eſt aquâ.* δεῖ γὰρ ὑγρὸν ἄηρ πυρὸς, 5. *de Gener. Animal. cap. 3.*

3. *Et aqua non tam frigida eſt, quàm humida, ſicut aer non tam calidus, quàm humidus eſt.*

4. *Cùm igitur Ariſt. 2. de Ortu, textu 23. Aquam dicit eſſe magis frigidi, quàm humidi: terram magis ſicci, quàm frigidi &c: non conſiderat intenſionem graduum, ſed affinitatem naturæ, aut ordinẽ, quo hæc elementis à Cœlo conveniunt.*

5. *Ideoque multùm differt aquam dicere eſſe magis frigidam, quàm humidam; & eſſe magis frigidi, quàm humidi: nam hoc verum, illud falſum eſt.*

XII. Κρύσταλλος ἔστιν ὑπερῳλὴ ψυχρότητος. *2 de Ort. text. 21.*

1. *Ab aere ſuâ naturâ calido, aqua in glaciem concreſcere non poteſt.*

2. *Glacies igitur non per frigus aeris proprium, ſed alienum in aere nobis propinquiore, à vaporibus aut ſpiritibus frigidis, ac ſiccis, ex terra præſertim elevatis producitur: qui cùm ſint tenues, facilè per aliena corpora meant, & in aquam præſertim vires ſuas oſtendunt, quæ ſuâ naturâ frigida exiſtens, alienum calorem facilè exuit.*

XIII. Frigus præſertim in congelatione ἐξάτμιζει, evaporat, & ſecernit humorem. 5. de Gen. Animal. cap. 3.

1. *Per ſpiritus terræ frigidos & ſiccos, calor in aqua extinguitur, & unà cum calore tenuis humor diſſolvitur.*

2. *Hinc Aqua prodiens ex glacie, & major, & craſſior eſt.*

3. *Hinc etiam dicimus glaciem eſſe viam ad terram: & gigni urgentibus præſertim ventis ſeptentrionalibus frigidis, & ſiccis, qualis eſt terra.*

4. *Et propterea rectiſſimè 2. de Ortu, textu 13. dicitur* τὸ συνεχὲς ὑγρὸν ὕδωρ· ἢ τὸ κρᾶσιν στιλπνὴν ἔχον, οἷον ἡ στυπτηρία ἢ ἁλμυρόν ὑγρότητος.

XIV. Ὄντος τοῦ ὕδατος, τὸ μὲν ὑδατῶδες καὶ τὸ καθαρὸν. 1. *de Ortu, textu 86.*

1. *Elementa in ſingulis partibus, ſimiliter ut in toto, inter*

ſe

se miscentur, & contemperantur.

2. *Ex solis itaque elementorum formis, vera mistio: & ex qualitatibus, verum temperamentum consurgit.*

3. *Sola igitur elementa propriè miscibilia sunt: neque mista qua talia, ad alterius misti constitutionem misceri queunt.*

4. *Vinum cum aqua misceri non potest, sed confundi: & Pharmacopolæ varia conficiunt medicamenta, non miscendo, sed componendo varia mista.*

XV. Βαρύτατον τὸ πάντ' ὀφείλειν τοῖς κάτω φέρεσθαι. 1. *de Cæl.* 17

1. *Terra omnium corporum suâ naturâ gravissima est:*

2. *Atque adeò etiam densissima.*

3. *Quævis terræ portio per naturam gravior est portione cujusvis metalli, æqualis magnitudinis.*

4. *Cùm igitur experientia contrarium evincat in hac terra quam adspicimus; dicendum est puram non dari, & hanc quæ impura est, poris aere plenis præditam, atque à calore Solis rarefactam esse.*

XVI. Eadem forma Physica fundamentum esse potest, à quo Intellectus plures sumat conceptus formaliter distinctos, quales sunt cõceptus plurium differentiarum.

1. *Vndè quamvis eadem Anima, plures includat gradus essendi, qui de ipsâmet prædicantur, non sequitur tamen differentiam ab eo desumptam, aliam includere.*

2. *Anima itaque rationalis etiamsi includat omnes vitæ gradus secundùm suam integram rationem; si tamen sub conceptu limitato concipiatur, ut includens unũ, non includit aliũ.*

3. *Anima igitur rationalis, ut rationalis, non est sensitiva, aut vegetativa etiam in homine; utut simpliciter suppositâ Animæ unitate in eodem animali, utraque sit, & formaliter, & eminenter.*

4. *Etiamsi Anima prior de posteriore, superior tamen differentia de inferiore formaliter non prædicatur.*

XVII. Facultates & potentiæ Animæ, ſi abſolutè pro fundamento, ac primo principio operationum accipiantur, nec inter ſe, nec ab Animæ ſubſtantia diſtinguuntur.

1. *Diſtinctio facultatum Animæ ſecundùm gradus in eodem animali, à propria formalitate reſpectu objectorum, aut prout principia ſunt proxima diſtinctarũ operationũ deſumitur*

2. *Hinc ejuſdem Animæ ſecundùm ſubſtantiam in homine, Ariſt. plures ponit eſſe facultates, nempe ſentiendi, imaginandi, & intelligendi, eaſque ut diſtinctas ſeorſim conſiderat.*

3. *Quatenus igitur facultas judicat ſpecies externorum objectorum proximè, ſenſus externus: quatenus judicium ipſum, ſpecieſque diverſorũ objectorũ percipit, ſenſus communis: quatenus ab ijſdẽ inſuper ſpeciebus etiã abſentibus excitatur, phantaſia: quatenus deniq; ijſdẽ illuminatis, tum confuſa, tum diſtincta in ijſdem cognoſcuntur, Intellectus vocatur.*

4. *Omnes igitur facultates in uno & eodem homine, circa idem verſari poſſunt; ſed ſenſus abſtrahit à materia externa, non tamen ab ipſius præſentia, & conditionibus: phantaſia tam à materia, quàm ipſius præſentiâ, ſed non à conditionibus materialibus: mens denique à materiæ præſentia, & omnibus etiam ipſius conditionibus abſtrahere poteſt.*

5. *Ideoque ſola mens dicitur ipſam naturam abſtrahere, & cognoſcere univerſale.*

XVIII. Mens in homine nil poteſt ſine phantaſia ſpeculari.

1. *Vniverſalia ſeorſim à phantaſmate in memoria non conſervantur.*

2. *Vniverſalia ſolùm ſervantur ex accidenti, per conſervationẽ phantaſmatũ, ex quibus ab Intellectu ad libitũ eliciuntur.*

3. *Memoria igitur tantùm eſt ſpecierum ſenſibiliũ, ac ſingularium per ſe, quarum eſt phantaſia; per accidens autẽ, eorum quæ non fiunt ſine phantaſia, id eſt Vniverſaliũ. Lib. de Memor.*

4. *Idcoque*

4. *Ideoque ſolùm ſenſui competit, non menti ex Ariſt.*

5. *Et conſequenter proximè ſoli Phantaſiæ imagines offert, & per eandem Intellectui refert.*

6. *Denique ſicut Senſus, ita Memoria nullius ſubſtantiæ eſt primò & per ſe, ſed accidentium ipſius duntaxat, quæ ſola, per ſpecies & imagines ſuæ ſenſibus repræſentantur.*

XIX. Μνήμη τῶ φαντάσματος, ὡς εἰκόνος ὧ φαντάσμα ἕξις, ἢ πάθος ἐστί, *Lib. de Memoria. Cap. 1.*

1. *Memoria igitur non eſt diſtincta facultas à Phantaſia, ſed officium, aut uſus ipſius, tanquam habitus.*

2. *Phantaſia igitur, ut apprehendens objecta, dicitur Phantaſia; ut verò apprehenſa ſervans, Memoria vocatur.*

3. *Hinc minùs rectè loquuntur, qui dicunt Phantaſiam Memoriæ tribuere Phantaſmata ſervanda. Non enim alteri facultati tribuit, ſed eamet ipſa conſervat.*

4. *Hinc Phantaſia non dicitur ſolùm* ἀπὸ τῦ φαίνεσθαι *Ariſt. 3. de Anim. cap. 3. ſed etiam quaſi* φαινομένων στάσις, *ſtatus & conſervatio eorum quæ apparent.*

5. *Hinc etiam eſt quòd Memoria inter diſtincta animæ facultates, nec numeretur, nec conſideretur ab Ariſt.*

XX. Τὸ γὰρ ὃν τῦ τὸν ψυχὸν πεπονθέναι τι, ἀλλ' ἐν ᾧ, καθάπερ ἐν μέσῃ, ἡ νόησις, *1. de Anima, textu 65.*

1. *Si ſenex haberet oculum juvenis, videret ut juvenis.*

2. *Organo corrupto, non corrũpitur facultas ſentiendi.*

3. *Facultates ſentiendi nõ depẽdent ab organo ſecundùm eſſe ſimpliciter, & ſubjectivè: ſed tantùm ſecundùm operationem organicè.*

1. *In homine* τὸ νοῆσαι μεμαίνεσθαι, *cùm aliquid intrinſecùs in corpore perit: mens verò impatibilis eſt. Ibid.*

2. Τὸ διανοεῖσθαι, φιλεῖν, ἢ μισεῖν *non ſunt animæ affectiones propriæ, ſed eius quòd eam habet, quatenus eam habet. Ibid.*

3. *Idcircò mens dum corpus interit, nec recordatur, nec amat. Non enim hæc illius ſunt,* ἀλλὰ τὸ κοινοῦ, ὃ ἀπόλλυται, *Ibid.*

4. Nas

4. Νῦς μὲν οὖν ἔστι θειότατον τὸ, καὶ ἀπαθὲς ἔστι, *Ibid.*

5. *Quis igitur mentem habens, ex mente Arist. non perspiciat mentem humanam æternam & separabilem esse.* ὁ νοῦς ἔστιν ἢ γίνεσθαι, οὐσία τις οὖσα, καὶ ὁ φθείρεσθαι. *Ibid.* λείπεται τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον μόνον. *2 de Gener. animal. cap. 3.*

THESES ASTRONOMICÆ.

I.

AQua suâpte naturâ confluit ad loca decliviora. Arist. 3. de Cœlo.

1. *Secundùm extimam superficiem æquè distat à Mundi centro.*

2. *Atque adeo suâpte naturâ non aliam, quàm figuram sphæricam habere potest.*

3. *Aqua igitur marina in medio Oceani, non est elevatior, quàm ad ipsa littora arenosa, & plana.*

4. *Cùm igitur Astronomi demonstrant, ex mari & terra, unum globum concentricum fieri, sequitur mare nullibi secundùm extimam superficiem, arenis, & littoribus altius esse.*

3. *Hinc efficitur quemlibet liquorem in aliquo vase, habere tumorem, & circumferentiam, cujus centrum idem est cum centro Mundi.*

4. *Idcirco quilibet liquor, ut aqua, in poculis altior apparebit juxta medium poculi, quàm ad latera.*

5. Su-

5. *Superficies extima maris, abſque dubio, montibus in terra humilior eſt.*

6. *Cùm itaque Aqua ſponte ſuâ non poſsit ſubvehi altiùs quàm ſit ipſius ſuperficies undè derivatur: ſequitur è mari per ſubterraneas cryptas, fontes, lacus, flumina ad montes non aſcendere, aut ſcaturire.*

7. *Ac proinde cùm fontes & flumina, ut plurimùm ex editioribus terræ locis, aut montibus ipſis defluant; à mari originem ducere nequeunt.*

8. *Cæterùs omnibus de origine fontium ac fluviorum opinionibus nunc poſthabitis, unicam Ariſt. lubentiſsimè amplectimur, qui præſertim ex ſubterranea vaporum cõcretione, adjuvantibus tamen pluviis, ac nivibus ſolutis, aſſerit provenire.*

5. *Ac proinde cùm eadem recta ex minore circulo, aut ſphæra, majorẽ tumorẽ auferat; ſequetur idem vas poſitũ in loco inferiori, plus aquæ aut vini continere, quàm in ſuperiore v. g. ad radices montis altiſsimi, quàm in cacumine.*

6. *Et quãvis in tam exiguo intervallo, quantũ eſt à radice montis ad cacumen, reſpectu, diſtãtiæ utriuſq; à centro, vix aliqua diverſitas percipiatur: ſi tamen ad centrũ uſq; pateret aditus, ſphæricũ aquæ tumorẽ vaſi pleno inſiſtere ſenſibiliter oculis cerneremus.*

7. *Adeo ut ſi terra à Mundi centro tota recederet, aqua continuò circa centrum in globum perfectiſsimum coiret, ipſumque æqualiter ambiret.*

9. *Cùm terra undique, præſertim vero loca editiora ipſius & montoſa, innumeris ferè poris, venis, receſsibus, cavitatibus, & meatibus repleatur; quamvis decuplum, aut ampliorem oporteat eſſe aerem, ad certam portionem aquæ producendam, invenimus tamen ſub terra ſpatium: quod quandoque ob capacitatem, ſemper verò ob multitudinem meatuum, aquarum generationi ſufficiat.*

10. *Neque hinc adversabimur testimonio Sapientis, omni Philosopho maioris, qui 1. cap. Eccles. ver. 7. omniũ fluviorum fluxum, & refluxum ad mare referre videtur; quia si non immediatè, saltem mediatè: si non proximè, saltem primò secundùm originem simpliciter, omnem aquam à mari, ut primo elemento primoque principio omnis aquei humoris derivamus.*

11. Qualitates corporum simplicium naturales, ita ipsis conveniunt, ut in singulis partibus inveniantur: sicut calorem & siccitatem in singulis partibus Ignis, humorem & frigiditatem in singulis Aquæ cernimus.

1. *Cùm itaque motus & lux cœlestis, propriæ sint Cœlorum qualitates, quibus influentiam & vires suas in hæc inferiora exercent; in cunctis Cœli partibus, sicut motum, ita lucem aliquam, licet cum varietate quâdam, inesse constanter affirmamus.*

2. *Dicimus igitur subiectum hujus lucis adæquatum, esse universum corpus cœleste: subiectum principale, factâ comparatione inter orbes esse octavam Sphæram, quæ ob innumerũ numerum stellarum, plurimum lucis includit: comparatis autem invicem stellis, Solem maximè, Lunam verò minimè omnium ferè lucere, quamvis ob propinquitatem aliter appareat.*

3. *Partes igitur quæ lumen à Sole recipiunt, non debent omnis lucis propterea expertes esse; cùm recipiens à receptibili, non in specie, sed gradu immune esse debeat.*

4. *Sicut igitur oculi animalium, quamvis lucem aliquam habeant internam, possunt tamen ab extrinseca etiam illustrari; ita corpora cœlestia prædita luce nativâ & tanquam inchoatione ejusdem, optimè intensionem, & perfectionem lucis à Sole recipiunt.*

111. Deferens Epicylum Lunarem, ab occidente periodũ suam absolvit in 27. diebus & 8 ferè horis: Epicy-

clus

clus movetur in ſuperiore parte contrà, in inferiore verò ſecundùm ſeriem Signorum, in diebus 27, & horis ferè 13: Deferentes Apogæum, & Perigæum, ab oriente diebus ferè 32 convertuntur: Æquans Lunæ qui defert nodos, etiam ab oriente, ſed in annis 19 volvitur. Denique ipſa Luna circa propriùm centrum, motum habet proprium, motui Epicycli conformem, ſed in partem contrariam, ex Aſtronomorum poſitionibus.

1. *Vnum & idem corpus lunare, ſi non contrariis, multis tamen ſatis diverſis in Cœlo motibus ſimul agitatur.*

2. *Cùm itaque omne agens finitum, ſuo quoque ſpatio ac virtute definitum ſit; ſi non à principio interno, à pluribus tamen motoribus externis, orbes in Theoria Lunæ moventur.*

3. *Si Ariſt. tanta orbium, ac motuum varietas innotuiſſet, plures etiam motores cæleſtes, ſine dubio agnoviſſet, quam ſunt orbes totales.*

IV. Rectiores radij, uniuntur magis in reflexione, quàm obliquiores.

1. *Hinc radij Solis, quò rectiores ſunt, eò calefaciunt magis.*

2. *In quibus igitur Signis, Sol propiùs Zenith attingit, in iiſdem inferiora hæc magis calefacere dicetur.*

3. *In principio igitur Cancri, Sol Zenith propinquiſſimus, maximum calorem in his inferioribus, propter radiorum reflexionem producit.*

4. *In Cancro igitur virtutem ſuam ac vires, per proprium calorem maximè exercebit.*

5. *Si proprium duntaxat Solis calorem ſpectaremus, Signum Cancri Solis domus diceretur.*

6. *Leo itaque à Iudiciarijs inter omnia Signa Zodiaci, domus unica Solis appellatur, quòd cùm in ſe Signum*

igneum sit, incidatque in æstatem, Sol in ipso maximum in terris æstum producere soleat.

7. Non unicus Sol, sed etiam aliæ stellæ, Cœlique partes non stellatæ, per calorem, in hac inferiora suas influentias exercent.

8. Cùm igitur Sol & homo dicuntur hominem generare, communis causa principalis, æquata adhibetur.

V. Sub polis Æquator coincidit cum Horizonte.

1. Æquinoctialis igitur secundùm nullam sui partem, aut ascendit, aut descendit sub Horizontem.

2. Nulla stella aut pars Cœli, in habitatione sub Polis, oritur, aut occidit Astronomicè, secundùm Sacroboscum.

3. Imò ex doctrina ipsius, Fixarum nullus ortus præter Heliacum, sub Polis locum habet.

4. Aliquæ stellæ possunt descendere, & ascendere supra Horizontem, quæ neque Poeticè, neque Astronomicè oriuntur, & occidunt ex Sacroboscо.

5. Stricta nimis, & insufficiens est explicatio ortus, & occasus apud Sacroboscum.

6. Generaliùs itaque omnem verum ortum, sive Poeticè, sive Astronomicè, per simplicem ascensum, & descensum supra & sub Horizontem determinamus.

7. Ideoque omnem ortum [illegible] *atque jure, dicimus esse Astronomicum, quamvis* [illegible], *atque usurpatione solùm, aliquis Poeticus vocetur.*

VI. Nihil in instanti moveri aut quiescere potest, sed necesse est mobile in tẽpore moveri, & quiescere. 6. Phys.

1. Habitantibus sub circulo Arctico, meditas Zodiaci in momento ascendere non potest.

2. Quare necesse est huic elevationi, aliquod tempus respondere, ex elevatione, si non graduum, saltem minutorum, aut secundorum &c. Æquinoctialis.

3. Cùm hic ortus ab Astronomis in momento esse dicitur,

momen-

momentum non præciſè, ſed pro tempore breviſsimo accipiendum eſt.

VII. Umbra terræ corpore Lunari major, verè admit lumen Lunæ: At Luna Sole multò minor, motu ſuo ab occidente velociore, lucem Solis à nobis ſolùm avertit.

1. Hinc appoſitè à Virgilio dicuntur, Defectus Lunæ varij, Soliſque labores.

2. Luna igitur deficiet æqualiter eâdem quantitate, eodem momento, & univerſaliter apud omnes, ſupra quorum Horizontem apparet: Sol autem inæqualiter, utpote in alio climate plus, in alio minus, in alio omnino non, & priùs occidentalibus, poſteriùs orientalibus.

3. Quæ eodem momento contingit eclipſis Lunæ ſemper, non in eadem hora orientalibus, & occidentalibus continget.

3. Hinc licet Solares eclipſes ſint crebriores, in diverſis terræ partibus, Lunares tamen in eadem parte crebriùs conſpiciuntur.

VIII. Scientia eſt cognitio rei per cauſam, propter quã res eſt, & quòd nequeat ſe aliter habere propter talem cauſam. 1. de Demonſt. cap. 2.

1. Cùm itaque ex tam variis principiis, ac hypotheſibus Aſtronomi varii, ut Copernicus, Ptolomæus, & alii, Phænomenôn cæleſtium rationes reddant, ſequitur nos rerum Aſtronomicarum, præſertim quæ ex ſecundo motu dependent nullam ſcientiam habere.

2. Idèo rectiſsimè pronunciavit Ariſt. 2. Minor. Metaph. ut veſpertilionum oculi ad diurnum lumen ſe habent, ita Intellectus noſter ὡς τὰ τῆς ἡμέρας παρεσκευασμένα ἔχουσιν.

3. Quæ naturâ manifeſtiſsima ſunt nobis ſatis ignota eſſe poſſunt.

4. Senſu igitur imperfectionis noſtræ, Motorem & Conditorẽ omnium admiremur, & aſsiduâ contẽplatione mirabiliũ

Mundi, in amorem Opificis multùm, ardentiùsque animati, illud canamus: Pleni sunt Cœli, plena est omnis terra Majestate gloriæ tuæ.

THESES METAPHYSICÆ.

I.

Etaphysica est de *Ente quà Ens* est, atque etiam de Entibus à materia realiter, & secundùm essentiam omnimodè separatis.

1. *Igitur facultate quâdam, cæteras omnes disciplinas dicitur sub se comprehendere, earumque omnium fundamenta ac fulcimenta stabilire: cæteris etiam omnibus, non aliquo quidem practico imperio, sed directione speculativa imperitare: sola denique in rerum diviniſsimarum cognitionem, mentes nostras elevare.*

2. *Quis igitur non videt Metaphysicam omnium disciplinarum, quoad doctrinam, communiſsimam esse: cæterarum scientiarum Dominam ac Reginam: & humanarum omnium diviniſsimam.*

3. *Qui cum laude ad primam Philosophiam accessum sibi opportunum faceret, non nisi cæteras omnes disciplinas, in synopsi saltem, aut quasi generaliter perlustrando commeare debet: non decet etiam absque cæterarum famulitio, aut observantia, Metaphysicam quasi solitariè degentem speculari:*

expedit

expedit denique per cæteras, velut inferiores, magisque humanas, quasi gradu facto, opportunè ad Metaphysicam tanquam divinam conscendere.

4. *Quare ut Regis est, in illustrissimo Ordinũ regni comitatu postremò incedere; sic Metaphysicæ tanquam supremæ prærogativa est, post cæteras* Scientias *doceri.*

II. Τὴν Σοφίαν ἐν πάσαις, τοῖς ἀκριβεστάτοις τὰς ἀρχὰς ἀποδιδόμεν· ὥστε ἕξις τίνας ἀρχὰς δεῖ τὴν σοφὸν ἔχειν οὐ κατὰ μέρος, ἀλλ' ὅλως τὸν σοφόν. 6. *Eth. cap* 7.

1. *Sapientia in propria, sed lata significatione, cum Disciplina in genere convertitur.*

2. *Ideoque nulla habituum mentis species est, sed potiùs omnium genus.*

3. *Non in omni scibili tantùm, sed etiam intelligibili, Sapiens versatus esse debet.*

4. *Sola Metaphysica non est Sapientia, neque Metaphysicus Sapiens.*

III. Σοφία ἐστὶ ἐπιστήμη καὶ νοῦς τῶν τιμιωτάτων τῇ φύσει. 6. *Eth.* 7.

1. *Non quilibet habitus ex Scientia & Intellectu conflatus,* Sapientia *est, sed tantùm qui rerum per naturam est honoratissimarum.*

2. *Physica quamvis* Διττὴ μὲν *quidem* Σοφία *dici posset, Metaph.* ζ. *cap.* ια, πρώτη *tamen sola* Metaphysica *est.*

3. *Et inter partes Metaphysicæ sola* Θεολογικὴ, *Sapientia* κατ' ἐξοχὴν *est: communis autem quæ est de* Ente quà Ens, *tantùm in suo genere, nempe communis, aut universalis* Sapientia *nuncupatur.*

4. *Propterea Metaphysica non proprietate, sed prærogativâ* Sapientia *dicetur.*

5. *Hinc dixit Arist. Metaph.* ε. ι. & κ. ζ. *Si non esset alia substantia præter naturalem, Physica (nempe* κατ' ἐξοχὴν*) prima Philosophia foret.*

IV. Una

IV. Una scientia est, quæ unius est generis subiecti.

1. *Subiectum igitur est, quod scientia unitatem tribuit.*

2. *Non itaque materialiter, & secundùm esse rei (nam sic pluribus commune esse potest) sed formaliter, & secundùm esse scibilis considerandum est.*

3. *Subiectum igitur, & secundùm rem, & considerandi modum Scientia debet adæquari.*

4. *Cùm itaque in primaria parte Metaphysicæ, quæ est de Intelligentiis, nihil* quà Ens *consideretur,* Ens quà Ens *non est subiectum Metaphysicæ adæquatum.*

5. *Rationem subiecti adæquati in Metaphysica, ex natura unius Scientiæ determinantes, cum Arist. Metaph. z. ζ. illud esse* ὃν ᾗ ὂν καθ' αὑτὸ, *adeoque* ὃν χωριστὸν ἢ χωριστὸν *constanter affirmamus.*

6. *Pro distinctione separationis & abstractionis Metaphysica, ipsa scientia in partes distribuenda est.*

7. *Ac proinde cùm abstractio sit gemina, una per indifferentiam, vel (ut alii) per non repugnantiam, altera per essentiam; duæ erunt partes Metaphysicæ: una communis & generalis, de abstractis per indifferentiam, alia specialis atque propria, de abstractis per essentiam.*

8. *In communi itaque parte agitur de* Ente quà Ens *est, & immediatis ac analogis Entis speciebus: in propria verò ac principali, de Intelligentiis, secundùm rationes proprias Intelligentiarum.*

9. *Ens abstractum quà tale, secundùm considerationem Metaphysicam, latius patet* Ente quà Ens *est.*

10. *Consideratio* Entis quà Ens *in Metaphysica solùm est secundùm Entis rationem*

9. Solæ itaque *substantiæ immateriales, quamvis partes Entis sint, distinctè & secundùm conceptus, tam generales quàm speciales: Entia autem reliqua, quæ sub aliquo genere continentur, non distinctè,*

tionem generis, in Acroamaticis considerantur.

stinctè, sed secundùm conceptus duntaxat generales, ut conceptum Entis, Substantiæ, & similium, in Metaphysica considerantur.

V. In omni demonstratione, tres termini necessariò requiruntur, Subjectum, Medium, & Affectio.

1. *Cùm igitur in Metaphysica, sicut in alijs Scientijs, demonstrationes sint ostensivæ; necesse est terminos in ijsdem distinctos esse, si non re, saltem ratione: si non simpliciter in se, saltem secundùm nostrum concipiendi modum.*

2. *Adeo ut in omni demonstratione tum, realis terminorum distinctio minimè requiratur.*

3. *Vbi igitur major & realis distinctio terminorum, non est perpetuò major certitudo: sed contrà, ubi minor distinctio, certitudo major esse potest.*

4. *Demonstrationes Metaphysicæ omnium Demonstrationum perfectionem, si non actu secundùm distinctionem rerum, saltem virtute, secundùm eminentiam cognitionis comprehendunt.*

5. *Vndè sequitur Metaphysicam etiam secundùm rationem demonstrandi, omniũ Scientiarum simplicissimam, certissimã, ac præstantissimã esse.*

2. *Cùm igitur omnium consensu, Ens quà Ens subiectum sit communium affectionum Metaphysicarum, Vnius Veri & Boni; earundem principium esse nequit.*

3. *Ac proinde cùm naturam & essentiam Entiũ prædictæ affectiones consequantur, necesse est ipsam essentiam Entiũ earum principium esse.*

4. *Ens igitur, & Entitas seu essentia, secundùm nostrã concipiendi rationem, ratione aliquâ in omnibus distinguuntur, tanquam essentia, & essentiam habens.*

5. *Metaphysicè Entitas & Ens idem non sunt.*

6. *Atque adeo Entitas non est Ens, neque Ens Entitas est, sive Ens (ut loquũtur)*

participialiter, sive nominaliter usurpetur.

7. *Entitas igitur est non* Ens, *si non rei, sed rationis distinctionem attendamus.*

8. *Non omne non* Ens *nihil est, sed aliquod non* Ens *realis* Entitas *est.*

VI. Vt unumquodque est, ita particeps est veritatis. Metaph. α. ελατ. α. similiter & unitatis, atque bonitatis.

1. *Perfectio est* Entitatis, *quæ cuique rei* Vnitatis, Veritatis, *&* Bonitatis *perfectionem tribuit.*

2. *Deus dicitur perfectissimus, non propter unitatem (si nobis sic concipere fas est) extra proprium suum ens consideratam, sed propter perfectissimam suâ entitatē quæ indivisa est.*

3. *Vnitas igitur, sicut* Veritas *&* Bonitas *nullam realem perfectionem* Enti *superaddunt.*

4. *Ideoque nullam entitatem realem, aut positivũ reale.*

5. *Quicquid igitur* Enti *superadditur, vel erit ceu privativum, vel* Ens *rationis.*

6. *Passiones* Entis *non sunt ejusmodi, quales in inferioribus Scientijs considerantur, quæ sunt* ὄντα *à subiectis suis distincta: sed tantum ita* κατ' ἀναλογίαν, *non tanquam* ὄντα, *sed* πρὸς τὸν ὄντων *appellantur.*

VII. Acervus lapidum à se divisus non est.

1. *Quod per se non est unum, sed multum, potest esse à se indivisum.*

2. *Vnum ergo affectio Entis, non est Ens à se indivisum.*

3. *Ac proinde Ens erit indivisum in se.*

4. *Divisum esse ab alio, non est de formali ratione Vnius, sed eam consequitur, si non in actu, sed potentia consideretur.*

VIII. Οἰκία γίνεται ἐξ οὐκίας, ἢ ὑπὸ τοῦ· ἢ γὰρ τέχνη τὸ εἶδος. ζ. Metaph. θ.

1. *Opus artefactum secundùm veram rationem esse dicitur, quando secundùm formam & ideam, in mente artificis præconceptam, efformatur.* 2. *Veritas*

2. *Veritas in artefactis, per conformitatem cum Intellectu artificis rectè definitur, & per eundem mensuratur.*

3. *Cùm itaque omnes res creatæ à Deo, ut summo, primoq; artificè ac principio producantur, veritas cujusque absolutè ac primò, ad Intellectum divinum, tanquam primam omnium rerum & nullatenus dependentem regulam, ac mensuram referenda est.*

4. *Adeo ut veritas transcendentalis rectè definiatur, congruentia, seu conformitas rei cum Intellectu divino: quæ non quidem in plenariâ adæquatione consistit, sed imitativâ solùm, seu repræsentativâ similitudine earum (ut ἀνθρωποπαθῶς loquamur) imaginum & formarum, quas Deus essentialiter de qualibet re creata, in suâ mente ab æterno conceptas habuit.*

IV. Res appetibiles dicuntur, quia sunt bonæ: non autem bonæ sunt, quia appetibiles.

1. *Bonum igitur secundùm rationem formalem & primam ad voluntatem, aut appetitum non refertur.*

2. *Cùm Arist. 1. Ethic. cap. 1. Bonum definit,* quòd omnia appetunt, *tantùm à posteriore, naturam ipsius explicavit.*

3. *Prima itaque & formalis ratio Boni, in congruentia, & convenientia quadam Entis ponitur.*

4. *Adeò ut ipsum Bonum definiatur,* Ens alteri conveniens, congruensque.

5. *Bonum passio Entis, extrinsecum respectum Enti superaddit: nam alteri semper bonum est.*

6. *Bonum igitur absolutè sumptum, & prout in se tantùm bonum dicitur, non videtur ad Entis affectionem, sed potiùs ad essentiam & entitatem ipsius spectare.*

7. *Bonũ itaq; absolutè, & per se sumptũ, nihil Enti superaddit; sed tanquam idem cum perfecto, in conceptu Entis realis essentiali includitur. Quia nõ potest cõcipi Ens cum Entitate,*

quin concipiatur cum bonitate, & perfectione essentiali.

X Summũ bonũ est quòd omnia maximè appetunt.

1. *Idipsum igitur omnium non tantùm finis, sed & principium est.*

2. *Ideoque unicus Deus gloriosus, omnium optimum est, quæ aut esse, aut cogitari possunt.*

3. *Hinc præsertim duæ illæ apud Platonicos Dei appellationes,* Vnum *&* Bonum: Vnum, *quia omnium principium est, sicut unitas principium est totius numeri* : Bonum, *quia omnium finis.*

4. *Hinc fælicitatem definimus,* Reditum cujusque rei ad suum principium, *seu* Unionem cum eo; *aut* adeptionem finis.

5. *Quibus itaque modis creaturæ principium & finem omnium assequuntur, ijsdem & fælicitatem.*

6. *Fælicitas itaque creaturarum, vel ratio eam acquirendi gemina est: una, quâ principium illud & finem in seipsis; alia, quâ in ipso consequuntur. Illa per Naturam, hæc per Gratiam appellatur: Illa communis, hæc hominis propria est.*

7. *Non igitur humana, sed divina solùm est Philosophia, quâ ad veram, & consummatam fælicitatem erudimur: quâq; Deum nõ tam in creaturis quàm in ipso assequimur: nunc quidem, & in hac vita, per speculum & ænigma, prout revelatum; tunc autem & in altera, coram cernentes, & cognoscentes, sicut cogniti sumus.*

XI. Primum & summum Bonum, licet in seipso supra omnia exaltatum, suæ inhabitet divinitatis abyssos; per omnia tamen diffusum, in omnibus invenitur: in aliis perfectiùs, in aliis imperfectiùs, pro rerum ipsarum conditione, à quibus participatur.

1. *Hinc illud,* Iupiter est quodcunque vides, Iovis omnia plena.

2. *Et*

2. Et hinc, Thales rectiùs fortaſsis quàm credidit Ariſt. 1. de Anima. text. 86. omnia Deorum plena eſſe putavit.

3. Vnaquæque igitur creatura, cùm in ſe Deum aliquâ ratione habeat, & tantum habeat Dei, quantum perfectionis, & bonitatis; ſequitur creaturam in ſeſe Deum adipiſci, pro naturæ capacitate, cùm perfectam ſuis numeris naturam nacta eſt.

4. Et ſi Dei adeptio (ut oſtendimus) eſt fælicitas, ſequitur creaturam in ſeipſa aliquo modo fælicem eſſe.

5. Sicut igitur res ipſæ gradatim majoris perfectionis participes ſunt, ita in iiſdem gradatim naturalis fælicitatis ratio variatur.

6. In infimo itaque fælicitatis gradu, eſt Materia prima, quæ actum Entis, ſed nullius formæ habet. Nam forma ſecundùm Platonicos, ipſius Entis ſupremi imago quædam eſt, Materia verò ipſius Entis umbra.

7. In ſecundo gradu ponuntur res inanimæ, quibus actus formæ competit. Ideoque in perfectiſsima operatione naturæ ſuæ conſentanea, Deum, & fælicitatem in ſeipſis participare dicuntur.

8. His in tertio gradu fæliciores ſunt Plantæ, quæ præterea animam & vitam habent.

9. In quarto gradu adhuc fæliciora ſunt animalia bruta, quæ cognitionem ſenſilem ſortita, quia plus perfectionis, plus etiam divinitatis in ſeipſis aſſequuntur.

10. In quinto, optimâ omnium mortalium conditione Homo eſt, qui intelligentiâ præditus, ſicut naturâ, ita naturali fælicitate cæteris longè præſtat.

11. In ſexto denique inter ipſas creaturas ſuprema eſt bona Mens Angelica, & nobilitate ſubſtantiæ, quæ ab omni corruptione immunis eſt, & finis hujus conſequutione, cujus maximè particeps, quia maximè ei junctа eſt.

XII. Nihil ſeipſo potentius eſt, nihilque proprijs viribus

ribus nixum, ſupra ſeipſum aſſurgere poteſt.

1. *Ideoque nihil nitens per ſeipſum ad fælicitatem, aliquid majus, aut perfectius ſuâ naturâ aſſequi poterit.*

2. *Vtut igitur per fælicitatem quam diximus naturalem, creaturæ Deum aliquâ ratione participent; per hanc tamẽ nec res inanimæ, nec Plantæ, nec Bruta, nec Homo, nec Angeli, Deũ qui eſt ſummum bonum, in ipſo Deo, ſed in ſcipſis attingunt.*

3. *Igitur neceſſe eſt noſmetipſos deſeramus, ut alio duce quàm Naturâ, ad veram, & ſupernaturalem fælicitatem ducamur, aliâ doctrinâ quàm humanâ erudiamur.*

4. *Vera itaq; & conſummata fælicitas, ad ipſum Deum in ſeipſo contuendum, & ad perfectam cum eo unionem reducit.*

5. *Ad hanc igitur Angeli attolli quidem poſſunt, ſed ſuis viribus aſcendere nequeunt. Ideo peccavit Lucifer, quòd propriis viribus eò conſcendere voluiſſet.*

6. *Ad hanc ire Homo non poteſt, trahi poteſt. Vndè Chriſtus de ſe qui eſt ipſa fælicitas.* Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum. *Ioan. 6. 44.*

7. *Ad hanc bruta, & quæ infra hominem ſunt: nec ire, nec trahi poſſunt.*

8. *Ideoq; ſolus Homo, & Angelus ad hanc ſunt facti fælicitatẽ. Nam vapor in altũ aſcendit, ſed non niſi Solis radio attractus: lapis verò aut terreſtris materia, neque radiũ admittere, nec per ipſũ in ſublime attolli poteſt. Hunc radiũ, hanc vim divinam, hunc influxum ſupernaturalem, Gratiam appellamus.*

9. *Hæc itaque eſt fælicitas, hæc eſt Sapientia, quam Sapientes hujus ſeculi non cognovêre: & pro hac fælicitate Chriſtus oravit Patrem.* Rogo ſicut tu Pater in me, & ego in te, ita & hi in nobis unum ſint. *Ioan. 17. 21.*

10. *Ad hanc igitur fælicitatem ſola Religio promovet, & S. Scriptura dirigit, ſicut pro naturali duce, humanâ utimur Philoſophiâ.*

FINIS.